

Z
4081

ORATIO FUNEBRIS,
DE VITA ET OBITU BEA-
TISSIMO

Viri Reverendi & Amplissimi

Dn. GEORGII

WEINRICHII,

SS. Theologiæ Doctoris ac

**Professoris, & Ecclesiæ Lipsiensis
Antistitis celeberrimi.**

*Qui 27. Januarij Anni ineuntis 1617. etatis 63. vi-
tam cum morte, vel potius mortem cum vitâ illâ al-
terâ & eternâ commutavit.*

Memoriæ & honori & uanæ eius consecrata

M. JOSUA STEGMANNO Fr.

Facult. Philosophicæ Adjuncto.


Votum defuncti

*Vixi, & quem dederas cursum mihi, CHRISTE, peregi,
Pertæsus vitæ suaviter opto mori.*

L I P S I Æ,

Anno Jubilæo Christiano

M. DC. XVII.





Sic oculos, dum vita fuit, sic ora ferebat
VVEINRICHII S. Philyrae splendor & orbis honos,
Post fata hoc felix, quod vivit imagine corpus
In libris animus, mens super axe poli.

V I R I

Reverendi & eminentissimi

Dn. D. G E O R G I I

V V E I N R I C H I I,

Professoris Theologi, & Episcopi Eccle-
siae Lipsiensis meritissimi

& cu' a'g'ois

Hereditibus.

G E N E R O

Viro Amplissimo &
Consultissimo, Dn. VALEN-
TINO KRAPPEN, J. U. D. su-
praemae Curiae provincialis Asses-
sori, & Scabinatus Electoralis
Seniori honoratissimo, Patro-
no ac Mœcenati suo sum-
missè colendo.

F I L I O

Ornatissimo atq; poli-
tissimo Adolescenti G O D T-
FRIDO V V E I N R I C H I O,
bonarum artium & lingua-
rum cultor i industrio & pa-
terna pietatis emulo so-
lertissimo.

Hanc Orationem parentalem

L. M. Q.

offert atq; dedicat

Autor.

A 2

ORATIO.

ORATIO.

FXtremo litatum imus officio, *Viro Re-*
verendo & Amplissimo Dn. GEORGIO VVEIN-
RICHIO, praclaro illi Doctore Theologo, Ecclesia
nostra Antistiti, & purioris Religionis assertori con-
stantissimo, qui non ita pridem feliciter decurso vitæ sta-
dio, animam Redemptori suo reddidit, & mortalitatis
hujus fragmina in spem resurrectionis gloriosæ & vitæ
æternantis, spontè lubensq; deposuit.

Triste sanè hoc est officium atq; peracerbum, so-
lenne tamen atq; justum: *triste* quidem nobis, si quan-
tum amiserimus cogitamus, cogitare autem possumus,
si quantum ille consecutus sit perpendimus: *justum* verò
illi, quia excellentissimæ debetur virtuti & famæ Viri ex-
aggeratissimæ, cujus nomen ubiq; magnum, laus ampla,
in honore recordatio. Ac, ut inde in nervum crumpat
dolor si quantam huic *Academia* & ordini literario, huic
Urbi & orbi Christiano attulit mors *VVEINRICHII*
tristitiam, tantam dicendi vim vel suppeditaret *natura*,
vel naturæ præses instillaret *DEUS*, efficerem profectò,
ut par esset rei oratio, orationi luctus, luctui condolen-
tia. Quanquam enim, si mortem ejus respiciamus vitæ
anteactæ quàm simillimam, ita eam fuisse appareat, ut
non dolore, sed gaudio, non misericordiâ sed benevo-
lentiâ, non lamentatione sed gratulatione protequen-
da videatur; tamen, *ut homines sumus, humanis merito*
afficimur. Neq; enim in diem est quod querimur, neque
levis,

levis, quam fecimus jactura, nec privatam, quod perpe-
 si sumus naufragium, sed *magnum*, sed *grave*, sed *publi-*
cum. Nam eodem tempore, eadem ruinâ, clade parili,
 orbatur *Ecclesia Antistite* celeberrimo, privatur *Lipsia*,
Stratego suo clarissimo, nudatur *Theologorum Collegium*
Seniore meritissimo, destituitur *Academia Doctore* soler-
 tissimo, defalcatur *Curia Assessore* gravissimo, detrun-
 catur *Senatus Decemvirorum* membro utilissimo, &
 quod rei caput est, ipsa doctrinæ coelestis veritas spolia-
 tur custode, vindice, propugnatore fidelissimo, spolia-
 tur tota Respublica literaria *præconum Phœnice*, *Literato-*
rum Principe, *Virtutis Dictatore* celeberrimo, qui verè fuit
 pietatis nitor, morum decor, splendor religionis, qui
 semper audiebat *flos ævi*, *Sol Musarum*, *amor omnium*.
 Meritò igitur sublatum nobis decus lugemus: meritò
 extinctum hoc lumen conquerimur; meritò profusis
 dolorem testamur lacrymis, quantumvis nullis fortè la-
 crymis aut suspiriis satis id exprimere possumus, quod
 prohi dolor amisimus. *Iusta* verò & quidem *solemnia*,
 quis justè deneget illi Viro, qui & hujus *ævi gloriam* &
posteritatis memoriam pietate superavit, qui ingenii abun-
 dè deprompsit thesauros, in *urbis* hujus, atq; ad eò *orbis*,
 in *ætatis* hujus atq; ad eò *æternitatis* totius non *spectacu-*
lum modò, sed & *usum* atq; *commodum*: agnoscat igitur
 hæc *Urbs & Orbis*, *ætas* & *æternitas*, & dispendii ma-
 gnitudine percellat superstites, & beneficii circuitu ob-
 liger posteros.

Ac nemo sanè, ut opinor, erit tam honoris osor,
 splendoris inimicus, dignitatis adversarius, qui quem

vivo spontè obtulit laudem, eam detrahat *mortuo*: si modò secum expendat altiùs & *naturâ equum*, & *more receptum* esse, ut, quam virtutis gloriam, quam gloriæ famam, quam famæ celebritatem sibi peperere vivi, ejusdem experiantur fructum vitâ functi. Ac *naturam* quidem si ducem sequamur, illa apertè satis dicitat, nullam post Deum majorem esse religionem, quàm ea, quâ coluntur mortui, sive quod illi jam mortalitatis relictâ sarcinâ, Dei fruantur consuetudine, sive quod communi conditione omnes tenemur, neq; quisquam vivit, nisi aliquando moriturus. *Morem* autem si attendamus, prævios hâc in parte habemus omnes omnium ferè nationū populos, Græcos, Barbaros, Germanos, Hebræos, Christianos, qui suis passim celebratis parétationib. nihil sibi aliud habuerunt propositum, quàm ut relinquerent *defunctis laudem & exemplum vivis*: Viderunt nempe Viri sapientes, laudem mortuorum esse quasi semen, ex quo vivorum virtus haberet vel succum, quo vigeret, vel vim, quâ æternum viveret: Vivit enim præsentibus virtus in mortuorum laude, & ita vivit, ut quantum *mortuis* obscures *laudem*, tantum *vivis* tollas *virtutem*: Quantam ergo virtutis speciem voluerunt nitere in posteris, tantum honorem virtuti defunctorum habendum censuerunt: præsertim eum velint quicumq; sunt in hâc corporis labe exemplo excitari, illasq; in primis res sectentur, quarum vel palmam stupentes vident, vel fructum spe præcipiunt. Quapropter nec posteritas ab hoc instituto deflexit; ut res ipsa loquitur & usu nobis commendata Pietas. Quanquam nos *Christiani* plusculum etiam hâc in parte sapiamus, qui istis defunctorum laudibus,

non

ORATIO FUNEBRIS.

non tantum utimur, ad virtutem sub honoris specie excitandam, sed & illis insuper *testamur mundo*, imò *loquimur caelo*, & quod è mediâ laude pietatis est, *Deo hominiquè ostentamus fidem* nostram de corporum ad vitam meliorem reditu, quem *fide* credimus, *spe* expectamus. Quæ cum ita sint, eundem meritò & quidem supremum Parentationis honorem, memori pectore nostro piè denotato decernimus VVEINRICHIO, non quò magis innotescat, qui celebritatem suam jam ubiq; diffudit: non ut eruditis commendetur, qui per omnium ora volitat; sed ne *memoria* ipsius *finis* ibi ponatur, ubi *finem natura* posuit: nec enim summæ vitæ illius felicitati quicquam à nobis profectum potest accedere, quam honestum *laudis testimonium*, & ultimum *mortis suffragium*, quæ duo novam felicitatem vel exhibent vel promittunt.

Ad hunc piæ Commemorationis laborem dum me accingo, facilè quidem video, plus me experiri quàm possim assequi, & majorem longè ingenii laudatorem causam desiderare; qui æqualem amori dolorem, pares meritis lacrymas, congruentem patrociniò luctum, patrono meritissimo reddat? Quod tamen manum ab his sacris non retraho, in eo nemo accusabit spero, meam *tenuitatem*, quam fateor, vel *audaciam*, quam pudor hic excusat, vel *temeritatem*, quæ procul à me exulat, sed unusquisq; probabit potius meum istum animum, si intelliget, me non arrogantia, sed gratitudinis, non eloquentiæ, sed pietatis; non deniq; doctrinæ sed doloris partes agere; aut etiam ideò potissimum ad dicendum vocatū, quia orbus altero *parente*, *præceptore* destitutus, studiorum *Patrono* privatus, nunc potissimum lugeo.

Non

ORATIO FUNEBRIS.

Non est autem ut expectet aliquis, dum infelicis eloquentiæ lenocinium vel ad aurium titillationem, vel ad meam transferam ambitionem: non id est ingenii, non usus, non necessitatis: præsertim cum materia sit ejusmodi quæ per se satis exposita potest esse omnibus vel ad celebrandum vel ad imitandum.

Pigmentis verò orationis opus non est, cum & illius vita abfuerit ab omni simulationis artificio & fides ab omni furo, tum, quia facilem per se assensum invenit consensio virtutum, & veritas ornatum non desiderat. Id unum igitur mihi satis erit, si indicia præbeam gestorum ejus & summatim quæ sunt ad laudem illustriora persequar, omnia verò vel narrandi vel exornandi studium meritò aliis relinquo, qui ad hanc voluntatem majorem facultatem afferent.

Agam autem, sed strictis saltem lineis agam de Vita VVEINRICHII nostri verè piæ & Christianæ, quomodo omnes ejusdem actus, à primo hausti aëris spiritu, ad extremum usq; halitum laudabiliter peregerit, & quid insigne ad memoriam ævi & exemplum posteritatis in eadem præstiterit? Vos, qui hæc legetis, vos quæso, vestrum huic luctui misceatis affectum, meamq; pietatem non mensuretis ex orationis tenuitate, quæ pullato inornatoq; habitu in scenam meritò prodit, sed ex personæ commendandæ dignitate, quæ suffragium ejusmodi laudis & honoris jure meretur.

Tu verò *Fama*, tu *Famæ* altrix *Memoria*, nostris prævia quæstibus numina, hanc nostram pietatem vivaci *Cedro* inscribetis, ut eandem omnes anni consequentes excipiant.

Atq;

ORATIO FUNEBRIS.

Atq; ut à Viri *Natalibus*, naturæ ductum sequentes *Natales.*
 capiamus auspiciam, si aliquam natale solum parit &
 laudem & lauream, quid *Silesiorum* regione, *Euanae*que
 nostri *patriæ* splendidius? quid nobilius? quid illustrius?
 Etenim, ut alia præteream illius Regionis decora, loci
 ornamenta, literarum contubernia, famæ & immor-
 talitatis monumenta; prodierunt sanè ex illâ tanquam
 verâ laudum altrice & educatrice gloriæ, Viri quam
 plurimi doctrinâ nobiles, ingenio solertes, pietate cele-
 bres, eloquio insignes, virtute eminentissimi, quorum
 consiliis & auxiliis in ocio & negotio nostra cum fruge,
 cum laude usa est *Academia*, & quorum splendore etiam-
 num nostra se tollit *Lipsia*, famâ autem & factis *et as post-*
huma gloriabitur.

Quanta quanta autem sit illa gentis gloria, & quam
 etiam laudis faculam alluceat natalis soli dignitas, ta-
 men, si quantam *vivendo* sibi peperit laudem V V E I N-
 R I C H I U S attendamus, obscuratur ea, quam *nascendo*
 sortitus est adorea, siquidem omninò fatendum, quod
 quem à gente acceperit splendorem, tantò illi cumula-
 tiorum reddiderit, ut quantum alios gens tantum ille
 gentem suam illustrasse videatur.

Neq; tacenda tamen omninò *Urbs Patria Hirschber-*
ga, culta elegans, incolis frequens, ad confluentem *Zaci*
 & *Boberi* intra sudetes amœno loco sita, & in primis *ther-*
mis saluberrimis famigeratissima, quæ ex parvis initiis
 concinnâ *Minervæ* & *Mercurii* copulâ ad summa vel sal-
 tem summis proxima se erexit, & caput inter alias urbes
 excelsum extulit.

B

Hic

ORATIO FUNEBRIS.

Hic grata VVEINRICHI incunabula, hic vitæ illius primordia, hic primi aëris haustus dulcissimi, ex quibus cum naturâ ingenium, cum ingenio bonam indolem, cum indole vivum virtutis seminium, ceu primo cum lacte, fuxit & excepit, Vir omni ævo dignissimus, cui tantâ laude cumulata Patria *Cenotaphij* molem opere magnificam, ornamentis locupletem, honoribus splendidam, *signo Sirenis*, ut olim *Isocrati* appposito, figat, erigat, constituat, ut perpetuò splendor illius debitæ meritæq; gloriæ omnes contribulium animos ad æmulationem laudis, imitationem pietatis & illustrationem virtutis corripiat.

Parentes.

Parentes habuit, o *uana p̄tis* noster, non magnâ quidem cū re sed fide plenos, sed pietate sanctos, sed vitâ integros, & pro loci illius ratione satis honoratos. *Parens* quidem fuit BALTHASAR VVEINRICH, Vir pius & honestus, & civis eius loci honoratus; si non aliâ re eo saltem nomine felicissimus, quod ex felici conjugio quinq; suscepit *Filios*, qui universi atq; singuli, velut ad studiana, partim in Eccesiâ, partim in scholis, *Deo, patriæ, bonis omnibus* suam consecrârunt, aut à pio parente consecratam contulerunt operam. Quorum tres majores natu coronam fidelium *Mystrarum* jam consecuti, sunt in throno æternitatis: vivunt tamen in *liberis* & bonâ *famâ*, ut & duo reliqui adhuc in vivis superstites, indefessam cum Ecclesiæ, tum Scholis navant operam.

Matre verò natus est Superintendens noster MAGDALENA FRISIA, matronâ omnibus hujus sexûs virtutibus

tibus ornatissimâ : Etenim , ut fileamus hoc loco singularem ejus pudicitiam , frugalitatem eximiam , continentiam summam , certè *pietatis amorem* dissimulare non licet. Delectabatur illius animus imprimis assiduis *prece- tionibus* , quæ *matutinis & vespertinis* horis illic loci instituebantur quotidie . Illas , rebus posthabitis omnibus , frequentavit assidue , & sæpius ad sacras aras in genua prolapsa puras manus in cœlum tendens , unumq; in votum conjungens omnia , justis precibus DEUM , *sibi, Viro, liberis* placabat , nec nisi post horam à sancto opere discedebat : ita ut multi senserint , piam matrem vel suis unius precibus hanc felicitatem *sibi* , honorem atq; dignitatem *liberis* impetrasse , ut quatuor Filios tiarâ Sacerdotali devinctos , gauderet : Siquidem piam illam vivendi rationem ad mortis usq; terminum obtinuit . Quò minùs mirum est , è tam sanctis & piis parentibus , pium atq; sanctum Virum prodiisse , ut & digni Parentes tali Filio , & dignus Filius tam piis Parentibus meritò habeatur . Verùm quid opus his externis *pigmentis* , ubi interna non desunt *ornamenta* ? quid veniamur hæc *communia* , cum non desint *propria* eaq; illustria ?

Est quidem aliqua laus , fuisse vel *Æneæ Julum* vel *Priami Hectorem* , vel *Jovis Herculem* , nec minus tamen laudis est , extremo cum sis natus loco , hæc virtute superasse omnia ; quod de nostro gloriosum est VVEIN-
RICHIO .

Natalis illi fuit annus à nato Christo supra millesimum quingentesimum quinquagesimus quartus , qui multos præclaros Viros in lucem extulit ;

ORATIO FUNEBRIS.

qui nunc majori ex parte in fortunatis immortalitatis appulerunt insulis. Nomen illud GEORGII accepisse fertur, vel à die quo natus, qui satis feliciter ei illuxit: vel ab eo, quo renatus & initiatus, qui multò etiam propter *παλιγγεσσία* felicior; Quò accessit patrii nominis splendor, ut VVEINRICHIUS diceretur: quod utrumq; nomen in omen postea abiit, prout per singulos ætatis actus erit evidens.

Pueritia.

Ac primò quidem, contemplemur eum adhuc *puerum*, ubi, si quod *pietori simulacrum*, id est *ætatì pueritiæ*, quia tunc primas quasi futuri operis lineas natura ductitat; vel inde non obscuram reliquæ ætatis effigiem concipere possumus; Elucebat enim in eo, cum ipso rationis auspicio, præclara quædam indoles, sub faustis nutrita penetralibus, quæ facili imperio, in quamcunque eam deduceres figuram, sequacem naturam pollicebatur. Vix *quartum* agebat *annum*, cum, celeritate ingenii præcurrente ætatem, *mater* pientissima hunc suum filium, in precibus matutinis prius DEO consecratum; non secus ac *Hanna Samuelem*, (quod sæpius in ore habebat) manu suâ in *scholam patriam* tunc temporis florentissimam deduxit, eumq; erudiendum tradidit *Rectori*, THOMAE COLETO, Viro docto ac probò, cui deinde decursu temporis successit CHRISTOPHORUS SCHILLINGIUS; sub quo PARENS Senior, PITISCUS, & alii Viri, utinam tam religionis sinceritate, quàm doctrinæ ubertate celebres, tunc temporis in scholâ Hirschbergensi meruerunt, & prima in firmitatem jecerunt fundamenta; Quo discedente cum suis gregalibus PAULUM

LUM

LUM KNAVERUM post Consulem, Jauranum, & GEORGIUM AMERYMNUM Præceptores, ut amavit & reveritus est: sic facile & feliciter ea, quæ docerentur, arripuit, ut *admirationi & voluptati* esset omnibus. Nam & in elegantioris literaturæ studio procedebat & proficiebat indies, *morâ ætatis*, non retardante *præcursionem virtutis*, dum *pudor* erat *ductor*, dum *labor doctor*: Et in pietatis quoq; studio tam pulcrè erat positus, & ad severioris disciplinæ calculum, ut nullum haberet *ducem*, nisi *Deum*, nullam *curam*, nisi *pietatem*, nullam *voluptatem*, nisi *Musas*, nullos deniq; *Præceptores*, nisi qui ad Deum per pietatem, ad virtutem per honestas actiones, ad eruditionem per liberales artes deducerent. Et quando nec ipsi Parentes deerant imperio, nec tempus studiis, nec ætas oportunitati, sed omnia erant adjumenta præsidio, instrumenta discendi à Deo donata, à naturâ subministrata, à Parentibus oblata, à Præceptoribus suppeditata, id profectò in primis secum meditatam habuit, huc curas omnes contulit, quomodo præceptis imbueret ingenium, meditatione naturam poliret, animumq; doctrinâ & doctiorem & meliorem redderet, ne vel sibi ipsi, aut Præceptoribus, aut Parentibus, aut naturæ, aut Deo immortali ullo modo defuisse videretur. Nempe ut à *matutinâ Cæli facie* reliquam *diem* conjicimus: sic à puerili ætate reliquam vitam: Quapropter & in illius ætatis primis quasi herbis, qui vitam ejus puram & mores sanctissimos animadvertabant, uno affirmabant ore, eum aliquando maximum & religiosissimum *Sacrorum Antistitem* futurum: cum ad pietatem natus, non educa-

tus, habitu præparatus, non arte factus crederetur. Accedebat hûc *Cura privati Præceptoris*, M. PAULI JUNGII, quem parens *εὐσεβῶς* & illi adjunxerat, ut hanc ætatis partem verè ceream cancellis strictioris institutionis coërceret; cuius scientiam, probitatem, industriam, miro ingenii specimine, vario doctrinæ experimento, perspectâ morum honestate exprimere sedulò allaboravit. Quâ etiam animi contentione & industriâ factum est, ut ipse brevi temporis spacio politiore literaturâ animum non tantùm probè tingeret, sed & abundè inficeret, adeoq; vix annos habens quatuordecim aut quindecim, & *græcè & latinè in prosâ atq; versâ*, & loqueretur purè, & scriberet eleganter, & *Parentum voluntati, Præceptorum monitis, votis amicorum* egregiè responderet, eosq; in certam spem summi profectus erigeret. Sed hæc pueritiæ & infantilis ætatis sunt crepundia, videamus nunc adolescentis studia.

Adolescentiæ studia.

In primâ itaq; hâc incude disciplinarum positus, cum facilè vota præverteret omnium, jamq; *bullam prætextamq; puerilem* reliquisset, extremùm salutatâ matre studiorum primâ *Hirschbergâ* Anno Christi 1572. ætatis 18. celeberrimum *Uratislaviensium Gymnasium* petiit, ibidemq; in numerum discipulorum cooptatus est, *Rectorem* temporis ad D. *Magdalena*, M. MARTINO HELWIGIO, *Correctore* M. GEORGIO VVINCKLERO. Qui communi fato cedentes, lampada tradiderunt Successori, NICOLAO STEINBERGERO, Viro, bono literarum nato, & immortalitatis albo donato; cui in stylo elegantiam & in carmine vires, aliaq; plurima

rima.

ORATIO FUNEBRIS.

rima se debere, ὁ μάλιστα noster sapissimè ingenuè factus est.

Nactus est ibidem Patronos genere nobiles, prudentiâ illustres, opibus affluentes, honore conspicuos, & inter illos in primis Virum nobilem atq; strenuum, Dn. GEORGIUM FÜRST in Kupfferberg &c. mercatorem ejus loci primarium, qui VVEINRICHIUM nostrum, tanquam adolescentem pium & industrium, non tantùm omnibus benevolentiaë studiis complexus, sed & mensâ suâ dignatus est, commissis ejusdem fidei tribus filiis, JOSEPHO, DANIELE & MICHAELE, quorum natu maximus, Vir nobilis atq; strenuus JOSEPHUS FÜRST in Kupfferberg, Lichtenstein & Girbigisdorff, nunc Senatoriâ in amplissimâ Uratislaviensium Republicâ gaudet purpurâ: medius verò DANIEL in peregrinatione, Venetiis, diem suum obiit: minimus deniq; natu, Dn. MICHAEL FÜRST in Kupfferberg, mercatorem etiamnum hodiè agit Uratislaviæ faciliè principem. Quibus divinitus quasi oblatis subsidiis, adolescens ad summa natus, studia sua urgere, & honorario quasi certamine cum naturâ cœpit contendere.

His enim Præceptoribus, his Patronis, hoc atatis flore, hâc oportunitate temporis proficere sibi pulcrum putabat: Id quod etiam optatum tulit.

Nam, ut excellens VVratislaviam attulerat ingenium & incredibilem discendi cupiditatem, ita

ORATIO FUNEBRIS.

ita nunquam interciso laborum tenore ibidem feliciter mentem rudem expolivit, vacuam implevit, nudam exornavit scientiâ doctrinarum, labilemq; naturam exercitatione reddidit facilem usuq; potentem. Quem *vita suæ modum*, cum in medio lubricæ adolescentiæ cursu, tam eleganter & ad strictioris trutinæ lancem teneret VVEINRICHIVS, ejus & ingenium & artem non spectârunt tantum Præceptores, sed & probarunt alii Viri diviniore naturæ satū editi; Inter quos primas tenuit, *Theologus ille venerandus*, LUCAS POLLIO, Vir sanctissimus & eloquentissimus, verè *Phœnix* illius temporis: qui piè defunctum nostrum Superintendentem, ut filium adamavit, eiq; primam veræ pietatis & sapientiæ viam commonstravit: Quapropter illum vicissim Virū adolescens, ut *Parentem* colebat, ab ejus ore unicè dependebat, & ut sæpè illū referre meminimus, ita eum suspiciebat, ut ne verbulum quidem, vel in lectione vel concione prolatum, in ventos & auras abire pateretur.

Videbat enim *Adolescens* industrius, hunc Virum summâ religione, summâ autoritate, summâ eloquentiâ, pietatem etiam ex oculis spargentem, divinitus sibi concessum & studiorum *ducem*, & vitæ *exemplum* & omnium virtutum *speculum*: Quapropter ad ejus Cynosuram, tanquam ad alteram *poli Ursam*, alterum navigationis *typhem*, alterum *eloquentiæ Solem* omnem studiorum suorum cursum unicè direxit: Neq; id cessit infelicitè, nam & ejus suavitatem in pronunciando, elegantiam in eloquendo, virtutem in persuadendo, venustatem in disponendo, progressu temporis, non æquavit solū.

solùm imitatione, sed & æmulatione superavit. Quæ tot & tanta Viri in se merita, quoties memori recolebat mente VVEINRICHIUS (faciebat autem sæpiùs) toties neq; *nomen POLLIONIS sine honore* dicere, neq; *eius pietatem sine lacrymis* & singultibus cogitare potuit, veneratione autem tacitâ Virum istum sanctissimum perpetuò profecutus est.

Vixerat jam adolescens pius & industrius VVratislaviæ in Musarum nutricatu triennium, & florentium annorum viriditatem in optimarum artium & linguarum studia egregiè impenderat, cum inde unâ cum discipulis *Zatecium* in *Bohemiâ* illius linguæ addiscendæ gratiâ mitteretur, Anno Christi 1575. qui etiam conatus pro voto successit: Nam & ex Schola Zatecensi, *Rectore* M. JACOBO STRABONE, præclaras artes, & ex Urbe linguæ Bohemicæ nitorem triennii spacio perfectè hauserunt, adeoq; cum laude in patriam reversi sunt.

Posteaquam verò VVEINRICHIUS noster, anno salutis 1578. è Bohemiâ cum tribus filiis herilibus, faustò Vratislaviam appulerat, jam in bivio quasi quodam constitutus, anxie cepit secum cogitare, quo pacto studiis suis in posterum consuleret, præsertim cum Parentes sumptibus ferendis non sufficerent. Præreptâ igitur, ut ipsi tunc videbatur, omni emergendi occasione; cum septimanas aliquot *Vratislavia* delituisse, tandem jussu Patroni sui GEORGII FURST, amplissimi *Senatus Vratislaviensis* subsidium per literas petiit: Verùm cum non nisi ad *Chirurgiæ Studium* stipendium promitteretur, oblatas ille conditiones accipere noluit, sed id vitæ statu-

C

tum

ORATIO FUNEBRIS.

tum tenuit, quo duci se à naturâ ipsâ intelligebat. Interim quid de illo fieret, *Magnificus Dominus Capitaneus* illius Reipublicæ ultrò citroq; dispexit, tandemq; effecit, ut consentientibus amplissimæ Othmannorum familiæ suffragiis agnato suo VALENTINO OTHMANNINO *nobili patricio Uratislaviensi*, tanquam morum & studiorum ejus moderator præficeretur, si modò eundem Lipsiæ, nam aliò cogitabat, adhuc offenderet. Quâ spe erectus juvenis VVEINRICHIUS 25. Januarii Anno 1579. Uratislaviâ relictâ itineri accinctus, *Lipsiam* rectâ abiit, ibiq; Deo duce, fortunâ comite, 4. Februarii ejusdem anni feliciter appulit, ubi, feraciores tandem sapientiæ latices hauriret: neq; enim diutius *in fame veri & virtutum quasi penuriâ*, claustralibus Scholarum trivialium cellis detinendus erat, qui majoribus frugibus animum implere gestiebat.

Hûc igitur *Lipsiam* ubi Musarum transtulerat coloniam, & sub *Reçtoratu* Viri Magnifici & Consultissimi, Dn. D. MICHAELIS VVIRTHII *Professoris & Facultatis Juridicæ Ordinarij &c. Sciorum verè Coryphæi*, Sacramento dicto, in numerum Studiosorum receptus erat, singulari Dei providentiâ factum est, ut prædictum OTHMANNUM hûc offenderet, atq; voti sui compos redditus, & paupertati subsidium & studiis adjumentum se reperisse pauderet. Simul ac verò fixam in nostro hoc *Athenè* sedem, Dei indultu, nactus erat, tunc ille continuo, nullâ morâ interpositâ, ad indefessum studiorum laborē & solidum laudis decus se totū composuit, ut quanta ad ætatem, tanta ad probitatē & doctrinam fieret accessio.

Inprimis

ORATIO FUNEBRIS.

Inprimis illi arridebant amœniora *Philosophia Studia*, quorum fructum dulcissimum jam antè in *Satecensi* gymnasio aliquo modo præceperat, quapropter non tantùm umbratilia domi sectabatur studia, sed quod *decumanum industrie elogium* est, in publicum prodibat, & totum ferè diem audiendis, vel sex vel septem Philosophorum lectionibus in acroateriis prodigebat. Modò enim cum GITLERO *Professore* tùm temporis *eximio*, in dumetis versabatur *Logicis*, modò cum DRESSERO *Oratorum Phosphoro* in *Rhetorum* campos excurrebat; modò cum STEINMETZIO in *Geometrarum* pulvere se exercebat: modò in *natura viretis* duce HILDENIO deambulabat, modo ALBINO *Poëtarum ocello*, quam daret horam, detrahebat prandio, modò TIDYCEO suam impendebat operam, modò deniq; HARBARTI tunc Philosophi, privatâ manu ductione utebatur; modò in *palestrâ* velitationibus tam publicis quàm privatis, Philosophorum juxta atq; Theologorum deditus, suum defatigabat calamus & exercebat industriam, atq; ita nullam diei partem à labore immunem, nullam horam à fructu habebat vacuam; & quasi divino labore expleri cupiditas discendi non posset, noctes etiam violatis somni induciis assumebat, & ultra *concubium* productas lucubrationes, ante *diluculum* resumebat.

Quibus indefessis operis, & antelucanis vigiliis verè nobilitatus *juvenis* VVEINRICHIUS, cum & ingeniosâ diligentia vinceret ingenuos, & ingenio superaret diligentes, facilem ad laudem atq; honorem cursum obtinuit.

ORATIO FUNEBRIS.

Honores
Philosophi-
ci.

Vix enim uno in Academiâ anno exacto, *primam* in *Philosophiâ lauream* punctis omnium consecutus est, tanquam eruditionis testimonium, *Promotore* Sene optimo atq; venerando, M. ANTONIO KLININGIO, Grammatices tunc temporis Professore laudatissimo, cum post natum Christum annus laberetur 1580.

Eo ipso anno hinc avvocato discipulo ejus VALENTINO OTHMANNO, alii duo *Patricii Pragenses* JOHANNES & SEBASTIANUS CROPAZII à *Krimlovâ*, disciplinæ illius se tradiderunt, quibus cum anno sequenti ob grassantem hîc pestilentiam, PRAGAM concessit, ibidemq; per aliquot septimanas commoratus, *Professores Collegij Carolini*, Aristotelis libros prælegentes audivit, ne & illic turpi ocio, quod cane pejus & angui odebat, consensceret.

Inde verò *Lipsiam* tanquam ad veram literarum altricem, sapientiæ sedem & doctorum domicilium regressus, inchoatam laudabiliter Philosophiæ telam majori studio & industriâ pertexere cepit, & pulcri honestiq; amore, supra præsentis ævi socordiam se extulit. Nam Philosophiam, quam omnes hodie contemptim habent immeritissime, non primoribus saltem gustavit labris, sed toto potavit gutture, non à *limine* artes salutavit, sed ad *limites* usq; progressus est, non in *Academiâ umbrôsâ* confedit tacitus, sed in spaciis atq; *sole Lycei* ambulavit: fecisses periculum in *Logicis*, fecisses in *naturæ principis*, fecisses in *morum disciplinâ*, solertem ubiq; invenisses. In primis exercitia *disputationum* amavit, quibus incredibile est, quantum intra breve temporis spacium

cium

cium profecerit; quantam apud omnes admirationem ingenii & sedulitatis adeptus sit. Atq; ex hac metâ, legitimo curriculo tanquam ex carceribus ad Magisterii honorem aspirare cepit: quem etiam felicissimis suis conatibus, & consentientibus totius *Senatus Philosophici* suffragiis, cum aliis Viris juvenibus numero viginti, tanquam publicum doctrinæ ornamentum reportavit, Anno 1583. Magister bonarum artium pronuntiatus sub *Procancellariatu* Viri Reverendi & Amplissimi, Dn. Doctoris ZACHARIAE SCHILTERI, Theologi acutissimi, Decano M. JOHANNÉ ALBINO, Poëseos Professore publico. In quo *honoris cursu* & ad illum attinentibus exercitiis talem se undiquaq; præstitit; ut omnes justum laudarent animum, laudabiles probarent conatus, & nullâ voluptate, nullo ocio, nullâ animi remissione interruptam commendarent sedulitatem; *In moribus* verò ita temperatus, ita moderatus, ita venustus extitit; ut dulci quadam *συζυγία* *Musas cum Gratiis* copulasse videretur.

Cæterum post impetrata *Magisterii insignia*, totum se *Theologiae*, ad quam vel tacito naturæ instinctu, vel divino quodâ afflatu unicè propendebat, tradidit; nec in *aditis* ejus amplius ut antè versari, sed *in adyta* ejus penetrare sibi pulerum duxit. Initio quidem quasi vires ponderans privatos intra parietes, sub SCHÖNENEO Gymnasii Magistro perpolito, mereri cepit, cum *in concionando palmas*, tum *in disputando laureas*, mox verò in eruditorum quoq; pulverem progressus, ibidem specimina eruditionis, industriæ & ingenii acrioris illustra edidit.

ORATIO FUNEBRIS.

Modò enim in æde Paulinâ *Orationes*, modò in Thomanâ *Conciones*, modò in publico *Disputationes*, summo cum applausu & gratulatione habuit: iidemq; non *eruditionem* tantum consecutus est, & *laudem*, sed & *famam*, atq; *celebritatem*. Et jam tempus erat, ut merces preciosissimas, quas hinc inde, à primis ævi carceribus ad annum usq; ætatis trigesimum, multo cum sudore lucratu erat, præsertim in nobili hoc emporio, exponeret, in Ecclesiæ mercimonium sacratissimum. Neq; verò defuerunt illi licitatores: Florebant tunc temporis in hac nostrâ *Philyreâ*, duo Theologiæ lumina primaria, SCHILTERUS & SELNECCERUS, quorum nomina sine honoris præfatu dicere mihi esset religio; Hi viri supra laudem, supra invidiam, in juvene VVEINRICHIO promovendo nullam non sumebant operam, utpote cujus industriam non levibus documentis perspexerant: dataq; occasione *munus Scholasticum* in illustri ludo Grimensi ad Muldam illi offerebant, & ad loci conditionem cognoscendam eò illum ablegabant. Visa, lustrata, perspecta fuerunt omnia; placuerunt: acceptâ igitur vocatione ab *Oeconomo* illius loci nomine Illustriss. Principis Electoris AUGUSTI piæ recordationis, paulò post Lipsiæ valedixit, & in Ludum illustrem ad Muldam se contulit, ibidemq; operas suas exorsus est, 26. Julii, Anno 1584. à prælectione *Proverbiorum Salomonis*, introductus solenniter per *Senem venerandum* & gymnasiarcham meritissimum, M. ADAMUM SIBERUM, qui ad munus illud Scholasticum faculam ei alluxit clarissimam, Ubi fanè VVEINRICHIVS noster ita Spartam, quam
nactus

naetus erat, ornavit, ut nemo ejus diligentiam, fidem & industriam desideraverit: Verū & in hoc loco obscuriore cū se maximè latere crederet, latere *nec potuit*, cū nobilissimus esset, *neq; debuit*, cum Theologiæ addictissimus.

Vix enim primas muneris hujus partes jam descripserat, & in poliendis ingeniis extremas duxerat lineas, carus *discipulis*, gratus *Collegis*, cum peculiari DEI consilio, præter opinionem omnium literas vocationis accepit, à Senatu *Salzensi* in Thuringiâ; cui, ut divinæ vocationi libenter paruit, & auditus pro concione, hîc Lipsiæ 6. Octobris ejusdem anni sacris initiatus & *ordinationis ritu* ad ministerium consecratus est.

Ut ut autem & levia & brevia fuerint illa in Ludo rudimenta, ea tamen fidelitatis præmia & læticiæ folia, meruerunt, quorum fructum VVEINRICHIUS in toto vitæ curriculo sensit uberrimum: Hâc enim occasione, hoc trimestris spacii tempore, hæc ætatis vernantis oportunitate fatali quodam motu animum adjecerat ad castum amorem Virginis tunc temporis lætissimæ CECILIAE, Viri prudentissimi Dn. VVOLFGANGI PEILICCI Oeconomi illius loci *filiae dilectissimæ*: Cum quâ etiam 28. Octob. anni 1584. priusquam ad Diaconatum capessendum, *Saltzam* abiret, *Sponsalia* celebravit, rem ita moderante, Viro Reverendo & amplissimo Dn. D. SELNECCERO, & *Sene* venerando VVOLFGANGO PEILICCIO, *Consulis* nostri hodiè regētis *Parente*, ut ejusdem laudis honore insigni, ita meritis de
 Republicâ

Conjugium.

ORATIO FUNEBRIS.

Republicâ clarissimo: Sicut etiam post anno sequenti felicis hujus matrimonii consummatio per honestas nuptias, hîc Lipsiæ celebratas, secuta est. Quo ipso matrimonio *ὁ μακροχρόνος* noster arctissimè sibi devinxit duas hujus Urbis *familias* amplissimas, puta PEILICKIORUM & MÖSTELIORUM, quorum autoritatem, favorem, promotionem, benevolentiam, & studia in se cumulatissima in toto postea vitæ decursu utiliter expertus, & sapiùs cum laude & veneratione recoluit. Cum *Conjuge* autem pudicissimâ & sui amantissimâ, quia tot annos vixerat tam piè, tam placidè, tam jucundè, tam feliciter, sæpè postea Vir optimus, ad singularem Dei providentiam alludens dicere solitus est; In eum potissimùm finem se videri ablegatum in *Cænobium*, ut inde *toris sociam* efferret, cum quâ totum vitæ tempus pacatissimè traderet. Fuit enim ipsius *Conjugium* verè vitæ Paradisus, schola pietatis, officina virtutum, Ecclesiæ seminarium, ac contra omnes malorum incurfus præsentissimum subsidium.

*Virilis atque
tis munia.*

Cernitis, jam, ut opinor, VVEINRICHIIUM nostrum non jam in primis pueritiæ cancellis, non in vernantis adolescentiæ studiis, non in inferioribus Philosophorum subselliis, sed in nuptiali vestitu, in Sacerdotali habitu, *Virum elegantem & Mystam sacerrimum*, jam modò ex umbrâ in lucem, è Scholâ in Templum, è celibatu in Conjugium, à pulpitis ad suggestum, à prætextâ ad purpuram omnium cum applausu feliciter prodeuntem.

Erat tunc temporis adhuc in vivis Senex ille venerandus M. MARCUS BRETSCHEIDERUS, Superin-

ORATIO FUNEBRIS.

perintendens *Saltzensis*, à quo VVEINRICHIUS noster publicè introductus, & in æde D. *Bonifacij* ibidem Ecclesiæ commendatus est, 8. die Novembris, anni tunc currentis 1584. sicut & eodem die Concione pomeridianâ operas suas feliciter exorsus est. Vix autem illïc prima *eloquentia* vela explicare instituerat, & ecce continuò ejus doctrina & ingenium, omnium famâ celebrari cepit, tantusq; hominum concursus ad eum audiendum factus est, ut subsellia omnia antea vacua, redderentur frequentissima. Rapiebat enim omnium in se civium oculos, omnium in se convertebat ora, obstupefactas aures tenebat omnium, & suavitate sermonis, sententiarum elegantia & accurato rerum delectu delinitos prius dimittebat quàm satiati videbantur.

Verùm ubi vix *biennium* ibi docuerat, & secundo vento famam experiri ceperat, mox alios, Deo moderante, penates quærere jussus, splendidiorum conditionem prius consecutus est, quàm acquisivit. Satis enim ejus in docendo gratia jamdudum perspecta erat amplissimo *Senatui Lipsensi*, primâ igitur oblatâ occasione ab eodem huc Lipsiam vocatus est, ad *Diaconatum* templi D. *Thomæ*, Anno partæ salutis 1586. Superattendente Dn. D. NICOLAO SELNECCERO, cujus nomen sine laudis præfatu nunquam nobis usurpandum veniet.

Fecit autem operarum suarum initium, *Dominicâ XVI. post Trinitatis*, tractando historiam Lucæ 7. de mortuo Viduæ in Nain filio, & deinceps ad habendas *Conciones Catecheticas* primum adhibitus fuit, cui labori usq; ad annum 1589. summâ cum industriâ præfuit, quo tempore paulatim

D

paulatim

paulatim ad altiora euectus *Epistolas Dominicales in Conci-*
onibus vespertinis explicando utilissimam Ecclesiæ nava-
vit operam ad annum usq; 1591.

Datus tunc erat VVEINRICHIO Campus optatissi-
mus, in quo excurrere & ubi cognosci ejus industria pos-
set. Ut igitur apud Saltzenses præstantissimæ sapientiæ
suæ rarissimæq; virtutis documenta dederat egregia, ita
Lipsiæ quoq; ad summam industriam nihil faciebat reli-
qui, sed ibi curâ, ibi cogitationem, ibi spem vitæ omnem
habebat, ut quotidie seipso & admirabilior fieret &
melior. Quin imò vix dum pulpita unâ atque alterâ
vice attigerat, statimque ipsius eloquentia ut
Phidiæ quædam *statua*, & perspecta & proba-
ta est.

Videbatur novus quidam exortus *Demosthenes*
Christianis, videbatur novus quidam surrexisse *Chrystos-*
mus Germanis, alter *liveratis* videbatur loqui *Basilius*, ita
docente VVEINRICHIO, & quidem adhuc Dia-
cono, concursus audiendî gratiâ ex totâ Urbe fiebat,
dicturum in templo præveniebant, captabant sub-
sellia, loca occupabant anticipato tempore, ne non
audire possent; præstolabantur multas horas vocem
illam suavem auribus excepturi, aditusque ita
complebant, ut quoties ad dicendum procederet,
per densissimum agmen quærendus esset *suggesti locus*:
E quo magno ab omnibus audiebatur studio ac silen-
tio, nihil magis metuentibus, quàm ne citò faceret dicen-
di finem, quem & ipsam tamen mirifico plausu omnes
excipiebant.

Et fue-

ORATIO FUNEBRIS.

Et fuerunt fortasse, qui *Viri gloria*, quæ se ita extollebat, ut nonnullorum oculis officeret, vel detraherent occultè, vel inviderent apertè: Semper enim *nascentis gloria comes fuit invidia*, ut Solis umbra: quæ tamen gloria progressionem usâ admirabili, & cursu penè incredibile, ut Sol, cum est in altissimo cœli vertice, umbram sic ipsa cum pervenisset ad summum, invidiam ferè omnem extinxit, & majorè continuò excitavit in animis omnium & *stuporem & amorem*: nascebatur enim ex admiratione amor, ut è *Thaumante Irim*, ex *Iri amore* naici, Poëtæ prodiderunt.

Sed quid ego hæc pluribus, cum famæ buccina jamdudum abundè personet, quâ arte, quâ gratiâ V V E I N R I C H I U S clavo rationis utens, & *acu salutari Magnetis virtute* infectâ prudentiâ intuens pro *polo* captum audientium, direxerit cursum ad aurium portum & fidam animorum stationem. Unum tamen in eo est admirabile: quod singulari D E I munere hoc illi datum erat, ut utrisque placeret, *doctis* pariter & *indoctis*, ingeniosis & obtusis, quibus utrisque placere difficilimum, displicere facilimum; illis quidem quia vident errata dicentis; his autem quia quæ bona, accuratè dignoscere nesciunt. Duas has diversissimas formas *vulgi cœliq;* unus homo ita prætulit, ut videretur & præceptus è cœlo ad *amorem* eruditus, & affusus ad *stuporem* laicis: quia omnibus iis præsidiiis atque adjumentis quæ in perfecto Oratore requiruntur, ita erat à naturâ prospectus, ita ab arte instructus, ut secundum illud *Neoclis* omnes

ORATIO FUNEBRIS.

atomi veræ eloquentiæ in eo confluisse viderentur.

Quid enim in perfecto Oratore, vos augustiora
 requiritis pectora, quid requiritis, inquam, quod in
 VVEINRICHIO non inveniatis? Num *natura bonitatem*?
 Eam sanè VVEINRICHIVS non novercam sed matrem
 benignam atq; blandam Dominam nactus erat: Num
ingenij dexteritatem? Illud, me Christe, VVEINRICHIVS
 in numerato habebat, ut intelligentiam in ore, mentem
 in linguâ, memoriam in oratione natura posuisse vide-
 retur: Quid desideratis ulterius? Num *methodi concinni-
 tatem*? velut in Herculis quâdam catenâ cohærebant
 omnia: Num *memoria tenacitatem* requiritis? Illa vel
 integras & benè longas Conciones iisdem verbis, qui-
 bus eas acceperat, reddere poterat: Ecquid præterea?
 num *sententiarum copiam* affectatis & elegantiam? Sanè
 cum tribus Gratiis Poëtæ non plures esse fingant, plus-
 quam centum in quavis ejus Concione observare licuit.
 Num *verborum delectû* & suavitatē accersitis? Illa certè
 omni nectare, omni Indicæ arundinis succo & humore
 suavius fluebant, Num deniq; summam *in dicendo gra-
 tiam* adjungitis? fuit hæc ita in Viro admirabilis, ut cum
 ea nulla magnes *Lucretii*, nullus lepor *Periclis Olympij*, nul-
 la testudo *Amphionis*, nullius *Atticæ Muse* suavitas, com-
 parari possit. Sed fallor, an in uno requiritis hæc omnia?
 Omnia in uno damus VVEINRICHIO, ingenium excel-
 lens, memoriam felicissimam, methodum dexteri-
 nam, sententias gravissimas, verba lectissima, perspicui-
 ratem summam, vocem clarissimam, pronunciationem
 suavissimam, & quæcunq; alia vel devincire auditores
 oblectando

oblectando vel oblectare *vinciendo*, possunt. Quanta-
cunq; autem hæc essent Viri dona, quantus donorum
splendor, quanta splendoris majestas: tamen ut erat
modestissimus, illis non superbiebat; sed quæ in se senti-
ebat dona, quæ donorum incrementa, illa DEO accepta
ferebat, & ad Ecclesiæ salutem tanquam ad Arcton uni-
cè dirigebat.

Jamq; ferè ad meridianum apicem summæ perfe-
ctionis, cum tam claro splendore gloriæ sensim ascen-
derat hic *Sol nascentis eloquentiæ*, & quæ lucendo, quæ ful-
gurando oculos feriebat & animos omnium, tam civi-
um quàm exterorum: Hæc igitur famâ impulsæ Urbes
nonnullæ splendidissimæ ejus operam sollicitè petie-
runt: inter quas in primis *Brunswiga, Torga & Erfordium*,
ultrò oblatis Vocationis literis suam erga VVEINRI-
CHUM propensionem liberalissimè ac benignissimè
declarârunt. Verùm dissuadentibus ab itum & magnis
& doctis Viris, illorum consilium, ut DEI vocem secu-
tus in officio perstitit, nec aliis scientiam imputare vo-
luit, quàm quibus eam deberet.

Quin & DEUS ipse Lipsiam illi elegerat, in quâ se-
dem rerum & fortunarum suarum collocaret, & illum
Lipsiæ destinârat, in cujus curâ & industriâ suaviter ea
acquiesceret,

Cæterùm, quod palmare hominis elogium est prius
virtutis *doctrinæq;* ornati *senio quam ætatis*, id in nostrum
quoq; verè convenit VVEINRICHIUM. Quamvis igitur
annos nondum habebat seniles, tamen, quia jam cogni-
tione rerum instructior, facundiâ accuratior, consiliis

Honores Ec-
clesiastici.

ORATIO FUNEBRIS.

promptior, experienciâ prudentior, & consuetudine humanior evasisset; factum est, ut exigui temporis spacio, ad summum *sacrorum munerum* & dignitatum fastigium magno cum omnium applausu per gradus quasi non tam ascenderet, ipse quam extolleretur.

Ac primò quidem à *Diaconatu* quo hætenus fungebatur, ad *pastoralem dignitatem* evectus est VVEINRICHUS, Anno reparatæ gratiæ 1591. 22. Decembris: eum prius publicè auditus esset, ab Illustrissimo *Principe ac Domino, Dn. FRIDERICO VVILHELMO, Electoratus Saxonici Administratore*; piæ recordationis, eidemq; fidei suæ confessionem puram & incorruptam, de controversis tunc temporis dogmatibus, subjectissimo studio obtulisset. Ad quam etiam functionem honestissimam 9. Martii anni sequentis in præsentia ministerii & *Affessorum Dicasterij Ecclesiastici* pro more publicè introductus, commendatus & initiatus est, à Reverendo Viro Dn. D. VVOLFGANGO HARDERO, tum temporis Superintendente.

Quo *Seniore* simul etiam officio excedente, tota laborum moles in humeros unius VVEINRICHII incubuit, cui, sede vacante, per integram biennium, omnes Conciones, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ habendæ, simulq; alia negocia innumera expedienda erant. Ac satis grave & sublime, satis amplum & honestum hoc VVEINRICHIO videbatur officium, in quo totum reliquæ vitæ tempus desudaret: Sed enim, Deo sic volente, hoc deposito laborū tyrocinio, plus ultrà ad decus & laudem illi assurgendum erat. Nam Anno

1594.

ORATIO FUNEBRIS.

1594. præter votum & expectationem, consentientibus *Senatus amplissimi* suffragiis, à Pastorate ad supremam Inspectionis curam evocatus, & ratam habente vocationem ab *Electore hujus Administratore* Serenissimo clementissimè confirmatus, tandemq; à Magnifico Viro Dn. D. MICHAELE VVIRTHIO Seniore *Ordinario*, & *Judicii Ecclesiastici præside &c.* solenniter ministerio præsentatus, & feliciter inauguratus est.

Cujus fanè muneris tantum est nomen, tanta species, tanta dignitas, ut angusta cam non capiant pectora, nec animi, aut ingenii egestas sustineat: Siquidem opus est in illo vigilantia & curâ incredibili, consilio magno, fide egregiâ, gravitate insigni & circumspeditione singulari, ne quid damni vel confusionis patiatur Ecclesia.

Quapropter & VVEINRICHIUS, quantumvis in eum, parens omnium natura, aut potius naturæ parens DEUS, ea quæ ad hanc functionem requiruntur, penè contulisset omnia, hunc tamen honorem ita tulit, ut eundem non tam capere, quam ab eodem capi videretur.

Comitabantur hunc honorem quasi è vestigio tres alii similiter summi, similiter maximis stipati laboribus.

Nam eodem anno, eodem trimestri & *Judicij Ecclesiastici Assessor*, & Athenæi hujus inclyti *Professor & Canonicus Cizensis* lectus, constitutus atque declaratus est. Sed & duplex curia, duplicem curam & geminam cathedra geminum laborem attulit, in qua tamen duplici duplicis *Senatus Curia* atque curâ, ut & ingeminato

Officia Aca-
demica.

ORATIO FUNEBRIS.

geminato *gemine cathedræ* labore, ita suam probavit operam, ut studiosæ juventuti *venerationi*, viris doctis *amori*, vulgo *admirationi*, utriq; deniq; & curiæ & cathedræ *laudi* atq; decori, *commodo* & emolumento esset. Cùm enim jam quasi *in theatro* quodam totius *Urbis & Academiæ* positus, facile videret, quàm magnum & molestiarum plenum onus humeris suis esset impositum, totum se ille in amplificationem Religionis, & Ecclesiæ curam porrexit, eoq; omnes intendit nervos, ut iis omnibus modis *prodesset*; quibus *præesset*, & doctiores eos eruditione, & meliores vitâ redderet, nec ad summam industriam quicquam reliqui faceret. Ac sanè nullam fuisse officii partem, quam non pro virili & quidem summo affectu prosecutus sit VVEINRICHIUS, ut ut ego taceam, pro me loquuntur *pulpita*, declamitant *templa*, testantur *Dicasteria*, edisserunt *Acroateriorum parietes*, fatetur universus hic *Orbis Saxonicus*.

Honores
Scholastici.

Quamvis autem ad hoc honoris culmen euectus satis jam sibi videretur habere laudis, satis gloriæ, seq; laboribus potius quàm honoribus natum putaret: illa tamen eruditionis testimonia, *Theologia* nimirum *Gradus*, non repudiavit, sed illos legitimo modo atq; ordine quæsit: non ut laudis ornamenta, quibus non egebat, sed ut rerum gerendarum instrumenta, quæ venabatur, non ut inanem inde expectaret gloriolam, sed ut ad munia publica plus autoritatis afferret. Et debebat sanè Vir summus hunc *studiorum suorum fructum* videre, ut eruditissimus, hunc *laborum*, ut celeberrimus, hunc *vita sue*, ut innocentissimus. Quapropter eodem adhuc
anno

ORATIO FUNEBRIS.

anno 1594. post experimenta solennia *prima laurea rudimenta*, triennio post, anno nimirum 1597. *Licentia bra-
beuteria*, & tandem anno 1599. die 8. Novembris *Docto. is*
Theologi *insignia*, unà cum Viro Reverendo & Clarif-
simo Dn. CORNELIO BECCERO, *Pastore Ecclesie ad D.*
Nicolai, Theologo ad summam frugem præcepto, sed
heu immaturè præcepto, consecutus est; Et quidem
studiorum *Dicastis* & honorum brabeutis Viris amplissi-
mis, Dn. D. ZACHARIA SCHILTERO, & Dn. D. BURC-
HARTO HARBARTO, quorum ille *Cynosura*: hic *Helice*
nostræ Philyres extitit, jam autem utriq; in fortunatis
immortalitatis insulis gloriæ famæq; plenissimis ap-
pulerunt.

Accessit & hoc, ut eodem anno 1599. è vivis excede-
ret JACOBUS BLUMELIUS J. U. D. & Collegij B. Virginis
Collega, in cuius locum VVEINRICHIUS Superin-
tendens summâ omnium Collegarum consensione re-
ceptus est; quemadmodum etiam postea eidem lauda-
tissimè præfuit, & Collegii reditus augere, idem structu-
ris novis exornare, & ad speciem simul atq; usum melius
posteris relinquere, per tempus succedaneum strenuè
allaboravit.

Tandem anno 1600. 6. Octobris de consilio suffra-
ganeorum unanimi, *princeps illi honor Academicus*, *Sceptra*
nimirum & *Rektoratus insignia*, oblata fuerunt: quem &
ipsum cum onere summo conjunctum honorem ita
tulit, ut omnes singularem Viri in rebus expediendis
prudentiam, *eximiam in percellendis animis autoritatem*,
& indefessum benè de Republicâ merendi *studium* passis

E

manibus

Rektoratus.

ORATIO FUNEBRIS.

manibus laudarent & approbarent: Summam enim semper præ se tulit constantiam, summam animum, summam humilitatem, summam gravitatem, summam humanitatem, & pacis concordiaq; cupiditatem, summam deniq; animi ingenuitatem, & vitæ integritatem, declaravit, quicumq; etiam casus incidisset.

Perspiciatis jam, ut opinor, quicumq; VVeinrichiano favetis & generi & honori, quomodo VVEINRICHIUS noster, *Vir æquus virtuti atq; ejus amicus* ex infimo loco ad supremam dignitatem, ex summâ inopiâ ad summam copiam ex forte afflictissima ad fortunam amplissimam, è laborum pulvere, ad honorum fastigium mirabili Dei providentiâ emerferit: Sed *quibus alis*, nisi his laborum & studiorum remigiis? *quibus ventis*? nisi lenissimis faventis auræ Zephyris? *quo deniq; moderatore*? nisi Deo, ad ejus cynosuram suam dirigens magnetem, non contis aut remulis, sed velificatione plenâ, plenis velis ad hunc laudis & honoris portum adventus est.

Quod sanè *exemplum*, ut admirabile & ad posteritatem deprædicandum: ita propositum debet esse studiosis adolescentibus universis atque singulis, ut & ipsi aliquando supra communem sortem sese efferant, & iidem ad decus atque laudem grassentur stimulis. *Viam* si quis quærit, *viam* aperient *literæ*, *literas* docebit *labor*, *amor laborem* sublevabit: Quod si aliquem deterret rei magnitudo, si spem infringit difficultas, si labor debilitat conatam, si deniq; retardat primas obtinendi desperatio: contrâ reddat animum clarissimus splendor gloria

gloriæ consequentis, spem confirmet animi magnitudo
 difficultates omnes perumpens, conatum roboret,
 præmium laboris amplissimum; & tandem sustentet
 vires propè accedendi concepta spes & probabilitas, si-
 quidem prima sequentibus honestum quoq; & glorio-
 sum in secundis tertiisq; consistere.

Sanè & VVEINRICHIO nostro in illis juvenan-
 tis adolescentiæ carceribus omnis *emergendi spes* erat
 sublata, adempta, occisa; & tamen ille ad tantam per-
 venit frugem & honorem, præter votum & expectatio-
 nem, & suam & aliorum: Quapropter hanc Dei sum-
 mam in se extollendo bonitatem sæpissimè effusis la-
 crymis profecutus est, tandem cum Scripturâ excla-
 mans; *Domine, minor sum omnibus miserationibus tuis,*
 quis sum? aut quæ est domus Patris mei, quod me huc
 perduxisti, & in tanto honoris culmine collocasti?
 quam exclamationem cum *δοξολογία* devotâ perpetuò
 concludere solitus est.

Atque ad hanc sortem divinitus sibi concessam,
 sine dubio alludere voluit, suo illo *Symbolo*, quod sem-
 per in ore & in calamo habuit, dicendo, scribendoq;
 PROPITIA TRINITAS MEA EST HAEREDI-
 TAs; relictus enim à Parentibus, ab amicis, ab omni
 fortunâ, à Domino susceptus, & bonis corporis &
 animæ terrenis & cœlestibus abundè condonatus atq;
 cumulatus est.

Verùm ut *nulla sors perpetuò est bona*, & suos habet for-
 tuna labyrinthos, quibus unumquemq; exagitat: ita
 quoque summa hæc VVEINRICHII felicitas, suis

*Calamita-
 tes varia*

ORATIO FUNEBRIS.

maetata fuit infortuniis, nec à calamitatis morfu libera esse potuit.

In primis verò Virum sanctissimum toto ferè vitæ curriculo mirificè exercuit *Malum* illud nocentissimum, quod Medici *hypochondriacum*, vocant, & doctis præcipuè Viris est infestissimum. Neq; solùm illud veniebat, sed mille aliis stipatum symptomatis & affectibus: Modò enim omnem præcipiebat animi fervorem; modò ex animo omnem ferè tollebat mentem, modò graviter debilitabat cerebrum, modò totam oblivione obruebat memoriam, modò cordis penitus coarctabat Spiritus, modò doloribus affligebat hypochondria, modò omnem quietem intercipiebat, simulq; universos atq; singulos & animi & corporis ita ligabat conatus, viresq; depascebatur, ut vix tantillo spacio à morte videretur distare vivus adhuc. VVEINRICHIUS. In quâ tamen calamitate, ut ut esset exquisitissima, eum vitæ tenuit modum, qui decet Christianum, talemq; se præbuit, ut ne peccaret *in Deum impatientiâ*, aut *in seipsum valetudinis incuriâ*: Nam & eam quam præscripserat aliis *patiendi legem*, ipse observavit sedulò; & media non neglexit, quæ sanitatem in integrum possent restituere.

Semper tamen in afflictionibus ejusmodi majorem *Ecclesie*, quàm *sua salutis* curam habuit, id unum maxime dolens, quod officii demandati partes sine interruptione obire atq; sustinere non valeret. Qui idem morbus, periodicâ quasi lege regressus sæpius, etiam obstetit, quò minus ad imperium Serenissimi *Electoris CHRISTIANI II.* piæ recordationis, cum ejus *Excelsitate*

*sitate Pragæ abire, ibidemq; laborans religionis exerci-
tium exædificare, aliaq; ad Ecclesiæ commodum spe-
ctantia expedire potuerit.*

Sed & ad has calamitates aliæ adhuc graviores fe-
rè accedere clades, quæ absq; Dei præpotentis si fuisset
solatio & patrocinio, Virum sanctissimum penitus po-
tuissent prosternere. Concesserat tunc temporis DE-
US clementissimus VVEINRICHIO ex felici & sæcundo
Conjugio quinque *liberos, filios duos, GEORGIUM &
CHRISTIANUM*, quorum ille Anno 1588. die 22. Ja-
nuarii, hic verò Anno 1592. die 28. Augusti lucem hanc
aspexerat: & *tres filias, BARBARAM* natu maximam, An-
no 1586 adhuc Saltzæ felici partu editam, CHARITA-
TEM IO. Januarii Anni 1590. hic Lipsiæ profatam, & ter-
tiam ELISABETHAM, quæ Anno 1595. die 23. primum
hauserat spiritum. Crescebant hi utriusq; sexus liberi,
& educebantur in timore Domini, in *parentum & gaudi-
um, & familie decus & ornamentum*: Et in primis de præ-
claræ indolis filiis spem Parens Φιλόσοφος & ceperat opti-
mam, fore, ut paulò post in ipsorum flore & honore
suaviter acquiesceret. Sed quid fit, mox utramq; *fortuna
vertit paginam*, spes omnis præcinditur, gaudium abole-
tur, cadit expectatio.

Ecce enim subito Dei permisso, Anno 1598. pestis
per hanc *Urbem*, imò per omnem ferè *Saxoniam* palàm
furere incipit, contagione funestat civium domos, & re-
gionem omnem crebris hominum mortibus defor-
mat, ut nemo domi suæ, nemo in Urbe, nemo in subur-
banis tutus esset à morbo, qui in multorum nece crude-

ORATIO FUNEBRIS.

liter debacchabatur. In quâ morbi tēpestate & aëris inclementiâ, quantumvis diligentissimam liberorum curam ageret VVEINRICHIUS, illisq; & medicamentorum curâ & diligenti custodiâ satis prospiceret, factum tamen est, ut hæc grassantis pestilentiae sævicia in sanctas quoq; viri ædes se insinuaret, & tenella liberorum corcula veneno suo inficeret, quo tacti duo filii GEORGIUS & CHRISTIANUS, quorum ille decimum, hic sextum annum compleverat, *paucarum horarū intercapidine*, statim inter manus & ora Parentum occubuerunt, & *uno in loculo* terræ mandati sunt: quos postmodum etiam soror CHARITAS eâdem clade, similiter in primo flore anno ætatis octavo, succisa, vix unius & alterius diei intervallo, statim subsecuta est. Atq; ita Vir optimus, anno uno, uno mense, uno triduo, tribus liberis carissimis, opinione celerius, spoliatus est: Quantum autem hæc jactura mœrorem, quantam tristitiam attulerit VVEINRICHIO, verbis cum dici vix possit, piis illud omnibus cogitandum relinquo. Ille sanè in omni sorte constantissimus, quamvis & partem vitæ, & laborum condimentum, & voluptatis sensum, & senectutis levamen, & spem omnem amiserat; ita tamen tulit hunc dolorem, hæc spectacula visu tristia, sensu molesta, perpeffu difficilima, ut hanc divinam castigationem, *non pro signo iræ, sed gratia* *tenune* *reputaret*, in hæc verba erumpens, quæ & literis consignata reliquit, *Hoc anno & hoc triduo, extinctis tribus liberis Peste, testatum fecit DEUS suum erga me amorem.* Nam filium quem Pater diligit, castigat.

Relictæ

ORATIO FUNEBRIS.

Relictæ fuerunt ex hoc immitioris fortunæ naufragio, *duæ filie*, natu maxima BARBARA, & natu minima ELISABETHA: Quarum illa progressu temporis, anno nimirum 1604. die 24. Januarii in matrimonium elocata est, Clarissimo JCro Doctori VALENTINO KRAPPPIO, *Supremæ Curie* provincialis *Assessori*, & *Scabinatus* Electoralis *Seniori* honoratissimo: Cui unâ cum Uxore salutem constantem, valetudinem firmam & vitam longævam Deus clementissimus benignè largiatur.

Altera autem Filia ELISABETHA, quamvis ex priori clade singulari erepta esset prudentiâ, vix tamen *triennales* cum morte pepigit *inducias*, cum & ipsa vitam hanc deseruit, & *fatalem* fratribus & sorori *numerum* addidit, adeoq; nondum satis consolidata retractando vulnera, dolorem Parentum non parum commovit, quod in uno jam capite spes Sobolis consisteret. Habuit tamen & hâc in parte aliquem *fortunaregressum*, & in locum quatuor defunctorum liberorum partem, *ut Jobo*, dimidiam reposuit, *in Filio* pariter & *Filiâ* pignoribus utrisq; dilectissimis.

Nam anno 1601. die 4. Feb. tempore *Rektoratus* paterni, natus est *Filius* GODTFRIDUS, qui magnam parentibus voluptatem & singulare omnibus attulit gaudium, quiq; hætenus in studiis ita versatus est, ut de illo spem concipiamus minimè dubiam, fore, ut crescente cum ætate iudicio, voti paterni memor atq; compos, sacratis ejus insistat vestigiis *pietate*, *labore* & *industria* & famam *WEINRICHIANAM* magis magisque illustret

ORATIO FUNEBRIS.

illustret & amplifcet. Triennio post nata quoq; est VVEINRICHIO *Filia* SABINA, Anno nimirum 1604. die 14. Martii, quæ & ipsa maternas virtutum æmula in omnibus pietatis & laboris domestici exercitiis quàm fidelissimè educatur, cui *Parens* jam mundo & nobis valedicens & præcepta gravissima & benedictionem uberissimam reliquit.

Cæterum inter hos summos honores, labores atq; dolores, ut homines sumus, nostri quoq; VVEINRICHII anni jam *maturi* à flore ad *Senectutem* properabant, quæ cum & ipsa non tantum per se venerabilis, sed in utroq; etiam pulpito imprimis religiosa & discipulis penè adorata fuerit, fructusq; ediderit longè uberrimos, non injucunda nobis contemplanda veniet. Ac in hac quidem vitæ parte *maturâ* jam *æate*, *maturecebant* in Viro isto *omnia*. Nam & honores augebantur numero & splendore, & animus ad labores jam exercitatus, evaserat doctrinâ instructior, experientia prudentior & ætate gravior.

Honores seniles.

Inter honores seniles primus est *DECANATUS Collegii Philosophici*, quem sex distinctis vicibus summâ cum gravitate, humanitate atq; prudentiâ ita gessit, ut nihil esset quod vel in libris censendis, vel in studiis sacris dirigendis vel in consiliis de rebus sacris ferendis in eo desideraretur.

Alter dignitatis gradus est *CANONICATUS Misnensis*, ad quem Anno 1604. evocato è vivis Theologo celeberrimo D. ZACHARIA SCHILTERO unanimes Nationis suffragio aspiravit, solenniter inauguratus VVurtzæ,

ORATIO FUNEBRIS.

næ, Anno sequenti 1605. per Nobilissimum Virum JOHANNEM ERNESTUM ab Haugvvitz *Capituli Misnensis Præpositum* dignissimum.

Exceptit hunc honorem maximum *Procancellariatus* officium, quo, eodem anno 1605. 2. & 3. Octobris præclare functus est in promotione *Trium Theologiæ Licentiatorum*, Dn. D. VINCENTII SCHMUCCHII *Pastoris Ecclesiæ ad D. Nicolai, & Professoris Academici* in hoc nostro Athenæo celeberrimi, Dn. D. ERHARDI LAVTERBACHII, *supremi Inspectoris & Assessoris Judicij* in Illustrissimo *præsulatu Cizensi*, & D. JOHANNIS FÖRSTERI olim *Professoris* in inclyta Leucoreâ, & postea *Inspectoris generalis Ecclesiæ Islebiensis*, præmaturâ vi fati non ita pridem nobis erepti: Cujus idcirco memoriam cum viventium laude jure meritò conjungimus.

Tandem, cum Anno 1614. ipso *die Concordiæ*, Senex meritissimus, verè currus & auriga Israël, quâ doctrinæ pietatem, quâ vitæ sanctimoniam D. BURCKHARDUS HARBARDUS *Præceptor* noster vigilantissimus fati concessisset, ejusdem in locum subrogatus VVEINRICHIUS & *Decemvir Academiæ & Professor Locorum Communium*, & *Facultatis Theologiæ, nec non Nationis Polonicae Senior* electus, designatus & pronunciatus est. Quantâ autem fide, quanto studio, quantâ dexteritate, hæc sibi delegata obierit officia, malo alios, ut loquuntur, loqui, quam me dicere. Eum profectò scopum in his atq; aliis officiis sibi habuit propositum, eoq; omnem suum laborem atq; studium unicè direxit, ut *presentibus* quidem præesset *doctrinâ & vitâ*, *posteris* autem prodesset *litera-*

rum monumentis, ad omnem æternitatem viventibus.

Doctrina.

Ac doctrinam quidem quod attinet, noverunt *Auditores*, quantâ non tantùm cum *facilitate & felicitate*, sed & *puritate atq; sinceritate* semper docuerit. Nunquam enim vel latum unguem à veritatis deflexit tramite: sed in semel agnita cœlestis sapientiæ normâ immobilis usque perstitit.

Cumq; aliàs facilis esset in cedendo, tamen cum ageretur Christus, cum Ecclesia, cum pietas, cum fides, tunc animus magnus & fretus amore Cœli, non cogitavit, contra quos, sed pro quibus diceret & puritatem Religionis quoquo modo propagavit. In primis *Pacis & concordie* in doctrinâ studium sibi habuit commendatissimum sicut & Deus hoc illi concessit felicitatis, ut, quâdiu huic Ecclesiæ præfuit, (præfuit autē tanquam Superintendens *ultra annos viginti duos*) omnia quæ ad religionem pertinent, in ista regione pacata & tranquilla permanserint, & nulla in fide mutatio, nulla inter fratres dissensio, nullum in dogmatibus schisma, aut in moribus offendiculum sentire licuerit. Dicebat contra hæresin *severè* plerunq; & *verè*, sed severitati huic & veritati mellitum nescio quid insperferat, ut hæreticum semper *stratum*, non *consternatum*, *offensum* non *inensum* eius vox admiserit. Quod si etiam severiori auditorum vitia perstringenda erant *cenfurâ*, omnia tamen ille iudicii sale mista, & carpebat aculeo, & capiebat amore: nam ut vitia redargueret *Pietas* jubebat, ut personas odisset *charitas* non permittebat. Porro ut in texendis concionibus mirus erat artifex, ita quoties in publicum prodibat semper de rebus gravissimis verba faciebat: *Suggestam* autem nunquam

quam

quam ascendebat nisi diu multumq; præmeditatus, et iam in summa senectute, cum memoria ferè negaret depositum. Atq; hic nihil calumniarum, nihil argutiarum, nihil spinosarum disputationum, quæ plus destruant, quam ædificant, nec inanes tantùm excitabat clamores, sed utilia proponebat omnia, sed necessaria, sed salutaria ad ædificationem comparata. In prælectionibus quoq; publicis tantâ agebat modestiâ, ut nulli contentioni ansam præberet, tantâ prudentiâ, ut nullas contortas quæstiones moveret, tantâ constantiâ, ut semel cum iudicio susceptam rationem non mutaret, tantâ dexteritate, ut fructum inde auditores perciperent maximum. Alienis certaminibus nunquam se immiscebat, sed quæ exorta erant, ut sanarentur sedulò omnes invitabat, talemq; se præstabat, ut etiam adversariorum livor quid in eo reprehenderet, vix quicquam inveniret. Cæterum, quam puritatem doctrinæ ad cives & discipulos voce vivâ transmiserat, eam librorum monumentis ad posteros propagare satagebat.

Testes proferantur ipsius *Commentarii* elegantissimi in *Epistolas Paulinas*, quos in Academia publicè proposuit. Testes producantur ejusdem *disputationes* de variis materiis Theologicis conscriptæ, quibus summâ cum autoritate præfuit. Testes deniq; prodeât *Conciones* ejusdem tam multæ, tam variæ, tam arte perfectæ, elaboratæ industriâ, iudicio perpolitæ, quæ tanquam toreumata, quædam alterius *Phidie*, aut *Mentoris* aut *Polycleti* doctioris, manu signatæ, quæ verborum figuris cælatæ pulcerrimis, quæ schematibus sententiarû aspersæ mirabilibus, quæ troporû emblematis ornatæ clarissimis, non modò

Libri editi.

legentes mirificè delectant, sed etiam VVeinrichiani ingenii lumine & splendore limatissimæ, & miro compositionis artificio ad *Cleanthis* & *Demosthenis* lucernam elucubrata, animos & oculos percellunt omnium, in quorum manibus versantur: Quin & in extremâ deficientis Senectutis parte à labore scribendarum *Concionum* nunquam destitit VVEINRICHIIUS; sed nulli parcens operæ, nulli tempori, subinde perfecit imperfecta, coloravit adumbrata, lineis extremis polivit rudia, & deniq; arte supplevit, quæ manca & inchoata naturaliter, à prima cogitatione, fusæ orationi deesse videbantur. Unde etiam hunc *laborum* suorum *fructum* vidit, ut ab ejus *Concionibus* quasi ab *Ideâ* quâdam vim dicendi & scribendi mutuarètur, omnes qui hoc nomē colunt; si *vivi* rectè judices, si *mortui* verè testes, utriq; sanè eloquentiæ VVeinrichianæ præcones amplissimi. Quin & nos ipsi si illud tempus, quo primùm in hoc *Electorale emporium* venit, in memoriã revocemus, fateamur oportet, quod pro angustis rebus amplas divitias, pro inopiã, concionatorum copiam, pro penuriã & indigentia, abundantiam & ubertatem ingeniorum restituerit, & hunc universum Saxonie agrum longè pulcrius excultum reliquerit, quàm invenerat.

Neq; dubitamus fore, ut illius scripta tam edenda bono literarum, quàm edita, propulsato omni ingenii deliquio, æterna sint & *etatem* VVEINRICHII cum *etate* *universi* exæquent; præsertim cum nihil ad speciem jucundius, nihil ad imitationem utilius, nihil ad usum commodius, nihil ad perpetuitatem accuratius aureis ejusdem operis vel dici vel cogitari possit.

Vitam

ORATIO FUNEBRIS.

Vitam autem VVEINRICHII nostri si similiter attendamus, plura in eâdem tanquam in *Timanthi* quâdam *piçturâ* deprehendimus ornamenta, quàm aut à medicatur aut videatur ab omnibus. Quæ licet nobis in eodem laudis proscenio consistentibus, sint notissima, tamen, ut aliis cognitio, ita nobis recordatio ista grata & jucunda erit. Brevibus ut percurramus omnia: plena fuit vita illius *Pietatis* in Deum, *dilectionis* in proximum; *fidei* in officio, *assiduitatis* in labore, *humanitatis* erga omnes. Ac *Pietatē* quidē ita coluit, ut nihil illâ prius, nihil posterius: Neq; tantum omnes vitæ & viæ rationes à mundo quàm longissimè segregavit, & quoad fieri posset se ab omni sceleris contagione sejunctum custodivit; verùm etiam incunte præsertim ætate, solum se Deo tradere, & illi soli vivere vitam duxit optimam. Cumq; *animus corpori*, *animo mens ipsa*, *mēti* verò imperet Deus, ita omninò vixit, ut à populo corpus, mentem ab animâ quàm maximè abstraheret, secum verò & cum Deo quàm proximè conjungeret, & cum eo familiarius in precibus vel loqueretur, vel eundem in verbo loquentem audiret. Præcipuum hoc ei fuit studium, labor palmaris, voluptas potissima, summa delectatio. Non jam dicam quàm devotè quàm frequenter Concionibus publicis visitaverit. *Tritum* est ad laudem quanta cum attentione verbum Dei audiverit? Vulgare est illud ad memoriam, quanto cum fervore preces suas pro salute Ecclesiæ Deo obtulerit. *Commune* est ad recordationem quantâ cum frequentia, quantâ cum reverentiâ *Sacram Synaxin* accesserit, vitamq; suam ad severioris disciplinæ calculum constituerit.

Vita innocētia.

ORATIO FUNEBRIS.

Illud ad laudem *illustre*, quod majorem Ecclesie quam sui rationem habuit: *illud* ad memoriam *haud vulgare*, quod tanto affectu omnium sibi concreditarum ovium salutem quæsit; *illud* ad recordationem *amplissimum*, quod precibus suis contrâ impetû adeò se opposuit, ut certas diei horas integras sibi deligeret, in quibus vel ad genua prostratus, Deo suo supplicaret, & cum lacrymis atq; suspiriis unus pro omnibus intercederet.

Similiter & *Dilectionis in proximum* non obscura undiquaq; edidit specimina. Quem enim illè bonum non colebat? cuius commodis non favebat? cuius dignitati non cedebat? quem egentem non sublevabat? quem petentem bonis Viris non commendavit? quem ille unquam sciens & volens læsit aut offendit? qui donec vixit, non sibi vixit, sed auditoribus vixit, sed discipulis, tam certus mori ut illi viverent, quam promptus vivere ne illi morerentur: siquidem illi *salus proximi* verè cordi erat & *honor civitatis* carissimus. *Fidem* porrò in officio quis in eo requirit? *as. duitatem* in opere quis desiderat? Sanè fuit ea tanta, ut illâ vim sibi atq; mortem propè attulerit: Ad summum enim singulis noctibus somno quinas horas, quaternas interdum, plerunq; ternas saltem impendebat: reliqua *omnis vita* nihil erat nisi *opera*, à quâ cum ipsum dehortarentur amici, respondere solitus est. *Laborabo quoad potero, Imperatorem oportet stantem in acie mori. Item: Longa quiescendi tempora fata dabunt*: Ita penitè nullam ducebat vitam etiam Senex, nisi quæ concatenatis laboribus descripta esset: Quæ incredibile & panè divina diligentia effecit,

ut

ORATIO FUNEBRIS.

ut tot negotiis tamque diversis unus sufficeret, cum totam Rempublicam Ecclesiasticam suis ipse solus prope modum humeris sustineret.

In *vita* deniq; *reliqua* sicut in habitu, ita & in vultu eodem perpetuo versabatur. Erat in conversatione humanissimus, in victu continentissimus, in consiliis prudentissimus, in summissione animi erat magnanimus, in simplicitate circumspectus, patiens injuriarum, patiens laborum, patiens calamitatum. Sed communia hæc videbuntur, palmarium dixero illud in *VVEINRICHIO*, quod semper fuit pacificus, cumq; videret, quod *plus possit una Ate, quam decem Lita*: multa patienter tolerare maluit, quam impatienter quicquam turbare: Sed & è mediâ humanitatis laude est ingenuus in eo candor, & integritas, quam in sermone, in gestu, in oculis ita præ se ferebat, ut nunquam lingua à mente, aut mens à lingua dissonare visa sit: Sed cum illo *Euripidis Rhese*, *Virum duplicem & Cor duplex* summo odio detestabatur.

Quin imò ut uno verbo dicam omnia, *vita* ejus fuit talis, ut ad illum *Philosophi quadratum* mensurari posset: talis fuit, ut doctrinæ per omnia responderet: talem inquam ille vitam, quoad fieri potuit, secutus est, ne *doctrinâ* quidem *cælum*, *vita* autem *infernum* ædificaretur, quod omnibus modis sibi cavendum duxerat.

Sed texo, ut pro re brevem, ita pro tempore benè longam Orationem: vela igitur colligo, & ad id, quod restat, dicendum brevibus me accingo. Satis jam, ut opinor, satis perspeximus in singulis vitæ Viri sancti actibus, veri *Christiani*, veri *Mystæ* & *Antistitis* effigiem

Ultimus *vi-*
ta actus.

ORATIO FUNEBRIS.

Ultimus vi-
tae actus.

effigiem non leviter expressam ad praesentis praedicationem temporis: sed ad posterorum memoriam atq; incitationem omnium sempiternam fixa vestigia: Venio nuca ad *ultimum vitae actum*, qui morti propior & in illa terminatur. Verum ut vitam Viri cum voluptate recolui, ita cum maerore *mortis mentionem* obeo; praesertim dum mecum altius expendo ejus incommoda: solitudinem templi, orbitatem Academiae, Urbis hujus cladem, Uxorisejulus, liberorum singultus, amicorum lacrymas, Collegarum gemitus, ad sepulcrum effusos; omnium deniq; piorum afflictissimum desiderium: Ut tamen voluptatis partes egi, ita & haec doloris partes suscipiendae sunt. Ac sane tanti Viri vita, quae tam praestantes, tam bene descriptos habuit *actus ceteros*, extremo quoq; debuit *actu* praestantissimo terminari: qui talis fuit, ut haud sciam, an meliorem nos ipsi, vel ad mortem viam, vel in morte exitum optare possimus. Hoc igitur postremo tempore, quoties in miserabilem Ecclesiae statum intuebatur VVEINRICHUS, intuebatur autem creberrime, ibiq; varias in Religione mutationes, *ἄποστασίας* & defectus non sine lacrymis deprehendebat, toties de migratione ex hac vita cogitabat, & saepe optare solebat, ut prius e vita discederet, quam fatalem aliquam mutationem fidei, quam minari viderentur omnia, experiri cogeretur. Qui pius Viri *affectus* eo evasit vehementior, quo major ad aetatem fieret accessio.

Mortis
praesagia.

Inprimis *ominosum* fuit illud, quod optimus Senex, cum post beatum obitum D. HARBARTI aeternae memoriae Viri, Praeceptoris nostri desideratissimi, *Locorum*

Communium

Communium Professionem solenni *Oratione* auspicaretur, de senectute ingravescente & corporis invaletudine verba faciens, illud *sine lacrymis & gravi singultu* perficere non potuit: sine dubio enim jam dum Viri sancti prælagiebat animus fore, ut præclaram illam functionem vix inchoaret, ad finem autem nunquam perduceret; prout eventus ipse comprobavit. Et jam instabat *annus ætatis sexagesimus tertius*, qui propter septenarii & novenarii numeri concursum Criticum, plerunq; Senibus est periculosior, & *signum infortunii* ætati imprimit: Hunc terminum cum attigisset VEINRICHIUS, statim sensibilis omnium virium defectus eundem excepit, & subita totius naturæ ad fatalem inclinationem profluentia non obscuris indiciis deprehensa est. Facile igitur vidit *Senex pientissimus*; illum ipsum *annum climactericum*, se non supervicturum, ut sæpenumerò etiam prædixit: præsertim cum facto quasi agmine in ejus conspirarent interitum infinita ferè *mali hypochondriaci* symptomata; *ἀγρυπνία* ex nimis contracta laboribus, & cerebri vitis: *catharri* in pectus destillantes & spiritum omnem intercipientes; *dolores pedum* exquisitissimi, *sudores* ex humorum intemperie; *cacochymia* totius corporis ex defectu calidi nativi, & ejusmodi alia; quæ pium *Senem* ita afflixerunt, ut quotidie in lectum ita recumberet, tanquam inde non surrecturus, & inde rediret tanquam ne illum quidem diem supervicturus.

Quas inter tribulationes & molestias, Senex tamen industrius nunquam pepercit operæ aut labori, sed in habendis *Concionibus & lectionibus*, quantum quidem per valetudinem licuit, occupatus fuit: singulis interim mo-

G

mentis

Afflictiones
variae

ORATIO FUNEBRIS.

mentis profusis lacrymis Deo supplicans pro afflictio-
num levamine, & felici *ἀναλύσει*, neq; prius desistens, an-
tequam aliquam cælo *spei*, aut in morbo *consolationis au-
ram* persentiret. *Illustre* illud est ad memoriam, quod
sub finem anni proximi Dominica XVI. post Trinitatis,
quo die ante annos 30. primam hîc Lipsiæ Concionem
habuerat, solennem suæ & ætatis & laboris in ministe-
rio mentionem fecit, & quasi *valedixit* carissimis suis au-
ditoribus, mox & ipse è mundo abiturus: cum hinc inde
conjiciens oculos videret, ne centesimum quidem ex iis
superesse, qui ante annos 30. primam suam in illa Cathe-
drâ Concionem audivissent: Et factum quoq; est ut pau-
cas ex illo tempore Conciones habuerit. Non multò
enim pòst cùm certior factus esset de repentino obitu
D. LEONHARDI HUTTERI Theologi nostri seculi faci-
lè principis, quem non ita pridem *Parca* invida nobis cri-
puit, ex illo relatu, & quidem hoc casu inopinato ita
consternatus est VVEINRICHIUS, *ut ne lacrymas quidem
teneret*, sæpè ingeminans triste mortis præfagium, fore
ut mox eundem sequeretur.

Neq; dissimilia prædictioni omina eventum hunc
præ se tulerunt: Paucas enim septimanas post illius obi-
tum Sol reduxerat, cùm Senex noster optimus inter me-
dios labores sacros, *vertigine capitis & typhymia* inopina-
tâ subitò obruitur, & ita affligitur, ut de vitâ ejus penitus
actum videretur: Unde tamen paulò pòst, peculiari Dei
numine eluctatus, ad officia vocationis paulisper rediit.
Sed neq; diuturna hæc erant gaudia: Vix enim Domi-
nica I. Adventus anni proximè elapsi, *Concione quadam*

de

ORATIO FUNEBRIS.

de regno Christi, quæ verè *cygnèa* illius fuit *cantio*, annum Ecclesiasticum de novo inchoaverat, cùm alterâ jam vice vertigo capitis & lipothymia ex obstructione cerebri exorta, optimum Senem majori violentiâ adoriuntur, & miseris eum modis ad animæ usq; deliquium affligunt.

In hoc morbi vehementioris periculo constitutus VVEINRICHIVS, cùm mortem jam non procul absentem, sed in foribus præsentem videret; ante omnia Deo optimo maximo gratias cepit agere immortales, quòd non tantùm ipsum toto vitæ decursu tam mirabiliter duxisset, sed & id ad reliquorum beneficiorum cumulū adjicere velle videretur, ut, quod toties precibus orasset, in officio moreretur, à quo paululum aberat, quin valetudo infirmior ipsum penitè avocasset, tandemq; beatam precatus *ανάλυσιν*, hoc voto sua claudabat suspiria: *O bone JESU, qui me ornasti in vitâ, fac ne me dedecorem in morte*. Cùmq; multæ sint notæ hominis verè pii atq; probi; tùm illa maxima, æquè posse pati & mortis falcem & vitæ filum: nec illam fractè fugere, nec hunc miserè nimis expetere; in Dei vero ut manu, sic nutu totum constituere: Hæc amissis in VVEINRICHIVM nostrum ita conveniebat, ut cui *tota vita* fuerat quidam *honoris cursus*, ad mortem tamen nihilominus afferret *mortis amorem*, quo æquè excepturus esset mortem, si feriret, atq; vitam, si eum exciperet.

Ipse interim, remittentibus aliquo modo paroxismissis, ad beatum ex hâc vitâ discessum totum se componebat; piâ *peccatorum confessione* & sacræ Cœnæ *fruitione*,

Preparatio
ad beatam
ανάλυσιν.

ORATIO FUNEBRIS.

fruitione, ut si morbi vi subito redeuntis vel ad mortis portum allideretur, & viatico sacro prospectus & ad mortis iter jam accinctus esset. Quamvis autem fatalis terminus nondum adesset, non obscura tamen certi interitus se prodiderunt indicia. Nam ad reliqua mali hypochondriaci symptomata accessit quoque *asthma* molestissimum *ex destillationibus salsis* atque putridis exortum, & *avogētia* quædam perpetua, atque ex defectu humidi benigni *impedita deglutitio*; quæ mala vires naturæ penitus tandem prostraverunt, ut ne pedem quidem ulterius lecto posset extollere, & de morbo suo quæsitus semper responderet: *Est lenta mors*. Et quamvis variorum affectuum cum gravitate, tum diuturnitate miserè afflictabatur, nullam tamen *doloris lectulus* ab eo expressit *doloris vocem*: vires corporis magis magisque deficiebant indices; nullum tamen infirmitatis signum edebat *animus*: sensim se ad mortis limen accedere sentiebat, nullam tamen ejus formidinem præ se ferebat: cumque alii cum lentâ morte pugnent, ille cum vitâ potius luctabatur, quod in morte solâ spem haberet, à quâ vitam meliorem expectabat; cujus cupiditate summâ inflammatus animus omni paulatim curâ elapsus, in eam cogitationem totus incubuit, quomodo ut *piè vixerat*, iste *sanctè moreretur*; à *Pollione* suo petens moriendi normam, à quo habuisset omnem vitæ regulam. Quin imò hanc curam tam altè infixerat animo, ut nihil aliud *vigilans* cogitaret, nihil aliud *dormiens* somniaret: Quapropter etiam nocte ante agonem proximâ è somno quasi exprorectus, Deo agebat gratias, quod liberatio sua jam instaret, in

ret, in hæc verba erumpens: *nuncium mortis accepi, jam ibo in vitam eternam*: Neq; illa vox erat casus, sed judicij, siquidem eam tam sæpè repetiit: imò quasi præfagiens mortem jam propè instantem addidit, *duos jam adfuturos Angelos, qui jussi sint beatam facere αιάλωσιν*. Quod sanè somnium, si somnium est, θεόπεμπτον illud fuisse, eventus satis contestatus est. Quò propior autem morti fiebat, eò ardentius animam Redemptori suo commendabat. Neq; piguit eum sæpius repetere & disertè declarare, etiam coram ministris Ecclesiæ, illum eâ luce quam in hoc mundo vidit ultimâ visitantibus, *quâ fide mori vellet*, nempe eâ, quæ est fixa & locata in uno & solo CHRISTI merito. Ac quemadmodum secundum illud Chryso- stomi: Virtus Sanctorum prævaluit circa mortem: idem de VVEINRICHIO nostro verè dixerimus; *Prævaluit virtus ejus circa mortem*; Paucis enim ante mortem momentis, anima ejus sanctissima, quasi jam rectâ ad Deum abitura, & à corporis nexu multò quàm antè liberior, divinæ suæ virtutis luculentissima edidit indicia, ut Spiritus sancti fulgorem quasi ex ore, ex oculis, ex voce emicantem non obscure deprehendere liceret: quemadmodum etiam *Senex optimus* jam morti vicinus, non unâ vice protestatus est, *se scire, quod vivum sit Spiritus sancti habitaculum*, & multâ illius rei documenta daturum, nisi spiritus angustia sermonem interciperet. Quin imò jam majore sui parte defunctus, cum præter animum & Spiritum vix quicquam superesset, velut supra morbi conditionem eluctatus, *cantionem* suam verè *cygnèam* cecinit, in qua juxta Deum almæ matri *Academia*; & imprimis *amplissimo* hujus Urbis *Senatui* atq; *Reve-*

ORATIO FUNEBRIS.

rendo ministerio: illis *fautoribus*, his *Collegis* pro præstitis sibi & beneficiis & officiis officiosissimè egit gratias, illisq; valedixit verbis gravissimis, lacrymas omnium provocantibus. Tandemq; ad *Uxorem* quoque amantissimam conversus, *ultimam* illi & liberis *salutem* dixit, & lacrymis nimium indulgentes spe restitutionis in vita illâ alterâ, affamine ultimo quidem, sed dulcissimo, mirificè delinivit & crexit.

Quibus integrâ mente, non tamen sine singultu peractis, se *dormiturum* dixit, & quasi ad somnum se composuit: sed & adhuc inter vota & suspiria *mors* inopinanti cepit obrepere, ideoq; jam in ipso agone, languentibus oculis, jam titubante linguâ, jam singultiente spiritu, pallidus ac rigens, omnibus quasi defunctus ad Christum se convertit, voce cum corpore moriente se illi adhuc commendavit, atq; sine omni naturæ luctu aut mortis sensu placidissimè expiravit. Hic *extremus mortis actus*, in quo *vite* suæ, ut ita dicam, *fabulam* Senex optimus, dudum *amor*, nunc & *honor* nostri seculi, pro voto finivit feliciter, & cum *plausu* in cœleste illud beatorum domicilium emigravit: nos autem in planctu & mœrore reliquit: Neque omine caret illud, quod ipsa *dies Chrysoptomi* illi fuit *emortualis*: Nam & illius morte conticuit *os* illud aureum eloquentiæ; friget *lingua*, illa sedes leporis & elegantiæ; silet *voxilla*, quæ aures feriebat & animos omnium, languet *dextera* linguæ vicaria, ministra ingenii, monumentorum æternorum, opifex, pallet *facies* illa quam sincerus humanitatis affectus colorabat; sepulta in uno nobis sunt omnia.

Meritò

ORATIO FUNEBRIS.

Meritò igitur Parentem lugetis *liberi*, meritò fratrem requiritis *Collega*, meritò Doctorem tuum repetis *Academia*; meritò lamentatione & fletu reposcis *Præconem* & *Myftam* tuum *Ecclesia* & *Urbis* & *Orbis* hujus *Christiani*. Sed neq; his proficitur lacrymis: Ita nempe fert mortalis hæc conditio, quâ nascimur & vivimus: ita exigit alterius vitæ dignitas, quæ hanc vitam excipit, ut per mortem in cœlum affectemus aditum; *moriendum* igitur fuerat *VVEINRICHIO*; Quamvis nec verè *mori* dicendus est, qui immortalitatem consequitur: Non enim cum *VVEINRICHIO* nostro penitus actum est, nam *vivit* adhuc *in* signis & *imaginibus* *Corpus*, *in* literis & *liberis* *animus*: *Spiritus* autem tanquam naturæ cœlestioris solutus jam parte imbecilliore sui, & abjectâ mortalitatis sarcinâ ad originem sui reversus, jam de livore, de fortunâ, & postremò de morte ipsâ triumphat.

Vivit ergò adhuc, vivit *VVEINRICHIVS*, & fruitur in præsens, & fruetur in perpetuum, & inter mortales *famâ* quam meruit, & inter cœlestes *gloriâ* quam quæsit. Ac sanè si rectè ponamus calculum, optimè cum illo actum est, contigit ei, quod optavit, *in officio mori*, quod petiit est affecutus, ut *Ecclesiam* salvam relinqueret; quodque unicè in votis habuit ex malis multis præsentibus & futuris planissimè ereptus est.

Satis etiam *sibi* vixit, satis *gloriæ*, numerosque explevit omnes optimi *Ecclesiæ*que amantissimi *Antistitis*, ut jam meritò *Eloquentiæ* famula, immortali calamo æternitati mandet *eloquentiam*,
in me.

ORATIO FUNEBRIS.

in memoriam posterorum pingat imaginem, & caelo inscribat gloriam feliciori quàm *Apellis* penicillo aut *Zeuxis* graphio.

Nos, *ut homines* sumus, plus jam sentimus quod habebamus, postquam habere desivimus, ideoq; merito contristamur, *ut* tamen sumus *Christiani*, modus impertur lacrymis, locus tribuatur solatio; placeat nobis quod placuit Deo: standum enim voluntate summi hujus Imperatoris, cujus consilium si incognitum, injustum tamen esse non potest: Eidem commendamus omnia, & Scholam hanc & Ecclesiam, cum rogamus, *ut Successorem* illi, nobis *Patronum*, Lipsiæ *Antistitem*, *Professorem* Academiae illi quàm simillimum concedat; idq; faxit pro divinâ suâ liberalitate & clementia, in cujus numine atq; nomine summa nobis spes est atq; expectatio. Atq; in hoc voto hâc nostra quoq; conquiescat Oratio, quâ si non probavi officium, probavi sanè dolorem, declaravi Viri desiderium, proposui vitæ & mortis exemplum atq; speculum: in quo si quid levius quàm pro re dixi id *mærori*, si gravius, *amori* id meo tribuatur. Nihil jam reliquum est, nisi ut VVEINRICHIUM nostrum jam *ultimo* acclamemus, & beatam corpori requiem, diurnantem animo famæ immortalitatem, sempiternam spiritui in caelis beatitatem, supremâ voce apprecemur, congratulemur.

F I N I S.

Ms. 278.

DE VI

Dn.

SS. Th

Qui 27. Jan
tam cum n

M. JOS




II

s ac

63. vi-
llâ al-

Fr.

peregi,
BIBLIOTHEC
CKAVIAN



TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

